



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

2 An dispensatio cadere possit in his, qui iuris naturalis, & diuini sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



& alij. At hæc definitio sustinenda non est. Primò, quia dispensatio non solum est iuris communis, sed etiam municipalis, & synodalis: quod ius nomine iuris communis non venit intelligendum, ex cap. 1. de constitution. in 6. Secundò, ad dispensationem, cuiusmodi est dispensatio, non solummodo debet habere causam, sed etiam debet habere rationem, & conditiones, quæ ad valorem illius requiruntur. Quapropter aptior definitio est: dispensatio est iuris alicuius relaxatio, seu exemptio alicuius à legis obligatione, & sic colligitur ex c. de multa, de præbend. cap. necessaria, cap. dispensationes, c. tanta, c. si qui 1. quæst. 7. quibus in locis vocatur dispensatio relaxatio, seu moderatio canonum, & in c. supra pietatis, §. si inquirat, 23. q. 4. vocatur ab August. vulnus contra integritatem severitatis, & ita tradit Salas disp. 20. sect. 1. vers. ut tamen. Basil. de Leon. lib. 8. c. 1. n. 3. Stat. lib. 6. cap. 10. n. 7. Salas disp. 20. sect. 2. n. 9. & alij plures apud ipsos.

3 Ex hac definitione inferitur primò dispensare non esse interpretari legem pro illo casu non obligare, sed est exemptio à lege, illius obligatione posita: constat ex iuribus supra relat. & tradit plures referens Suarez num. 2. Basil. num. 4. Salas sect. 1. n. 4. Valquez 1. 2. tom. 2. de legib. disp. 178. à n. 6. Sanch. lib. 8. disp. 1. n. 1. & 10. 4. summ. cap. 37. quæst. 1. Et ratio est manifestata. Primò, quia interpretatio non est actus iurisdictionis, sed doctrinae argum. textus in §. constat ansem ius nostrum. vers. Responsa prudentum. Insti. de iure natur. Quilibet enim vir doctus interpretari potest legem in tali, vel tali casu non obligare, dispensare autem non potest. Quod si in casu dubio alteri à superiore non permititur interpretatio, non inde inferitur interpretationem esse actum iurisdictionis, sed doctrinae, referuntur tamen superiori. Secundò, sæpè dispensat legislator, certis obligationem in dispensato non cessare, vt coningit, cum tecum dispensat in eiu ouotum, eo quod erogauit pro subsidio contra infideles duo dragmna in acceptioe Bullæ cruciatæ, & in impedimentis ad matrimonium, & ad ordines ratione alicuius canonici impedimenti, manifestè apparet. Tertiò, si dispensatio esset declaratio legis pro illo casu non obligans, quod euidenter constaret eam esse omnino similem, posset quis abique dispensatione se à legis obligatione eximere, quod est absurdum. Quartò, sequeretur æqualem potestatem esse in Principe ad dispensandum in lege propria, ac in lege diuina, & naturalis in lege propria, nulla alia potestas conceditur præter potestatem declaratiuam. Quindò, non posset in propria lege negare dispensationem; quia non potest in propria lege illius declarationem petiam i. pellere. Neque credendum est D. Thom. 3. 97. art. 4. in corp. & ad 3. oppositum sentire, vt aliqui recentiores illi attribuant; quia ibi loquutus est D. Thom. de dispensatione late sumpta, prout est quedam gubernatio, ordinatio, & distributio attentata personarum necessitate, & qualitate: tum quia dicit legislatorum alicui licentiam concedere non obseruandi præceptum, cum videt communi bono non expedire. Et quo non inferitur cessare ipso facto obligationem, sed esse eam sufficiens, vt illam relaxet.

4 Inferitur secundò dispensationem non esse permissionem proprie, quia dispensatio tollit legis obligationem in dispensato: at permissio illam non tollit. Deus enim permittit peccata, non tamen in illis dispensat. Quapropter permissus facere contra legem, committit culpam, & pœnæ subicitur, etiam si eius executionem distimulat; at dispensatus nullam culpam facit contra legem operans. Interdum verò dispensatio solet appellari permissio, & distimulatio c. dispensationis, 1. q. 7. sed non proprie sic Salas disp. 20. sect. 1. n. 5. vers. secundò. Basil. lib. 8. c. 1. n. 5. Suarez lib. 6. c. 1. n. 3.

5 Inferitur tertiò dispensationem differre à absolutione à peccatis, & à censuris; quia horum absolutione non vulneratur ius, sed potius ius ipsum impletur. Ius enim iubet rectè disposito absolutionem à peccatis, & censuris concedi; at ius non iubet semper dispensationem facere. Item potest secum quis dispensare, vt dicimus, se tamen non potest absoluerè. Denique absolutio, vt pote iuri conformis, late est interpretanda, secus verò dispensatio, sic Suarez lib. 6. cap. 10. à num. 9. Basil. lib. 8. cap. 1. num. 5. Salas sect. 1. coroll. 3. & colligitur ex glossa cap. episcopus, §. castorum, de electione, in 6. verbo dispensatio. Panorm. cap. cum litteris vestris, m. 2. de rebus.

6 Inferitur quartò dispensationem differre à simplici licentia requisita per legem. in eo, quod licentia non est contra legem, sed potius pro lege; neque licentia tollit per se obligationem legis, sed potius per ipsam obligationem legis fit factis. Qua ratione cum Prælati tibi conceit egressum à monasterio proprio, & Pontifex ingressum in monasteria monialium, & Episcopus ex legitima causa non tecum dispensat, sed apponunt conditionem à lege requisitam: lex enim cautebat, ne è monasterio proprio absque licentia exires, neve in monialium monasteria intares abique licentia illius, qui eam po-

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

test concedere. Cum ergo tibi Prælati ad hos actus facultatem concedit, iam lex non obligat, quia ex apposita licentia, illius materia cessabit. Et idem est, cum tibi facultas conceditur donandi, vel accipiendi nummos, nullo modo in voto paupertatis dispensatis, quia huius dispensatio solum est Pontificis argument. text. in cap. cum ad monasterium de statu regul. sed cessat casus, pro quo voto teneris. sic Basil. n. 5. Salas sect. 2. circa fin. Suarez n. 11.

7 Inferitur quindò, dispensationem differre à legis abrogatione, & derogatione: in eo quod abrogatio est cassatio totius legis, tam quoad materiam, quam quoad personas. Derogatio verò est cassatio legis pro aliquo tempore, vel pro aliqua parte communitatis, vel pro aliqua parte legis, si lex secundum materiam habeat latitudinem: constat ex l. derogatur, 102. ff. de verborum significat. & ex l. derogatur, ff. de reg. iur. ibi, derogatur legi cum pars detrahatur; abrogatur, cum prorsus tollitur, Sanchez lib. 8. disp. x. num. 1. Salas disp. 20. sect. 1. circa prin. Suarez n. 12. Basil. n. 5.

8 Inferitur sextò, dispensationem differre à priuilegio, quia dispensatio semper est contra ius: at priuilegium non est semper contra ius, sed sæpè præter ius. Quando verò priuilegium est contrarium iuri, idem est, ac dispensatio, & eodem modo causam requirit, sic Salas sect. 1. circa finem. Suarez lib. 6. cap. 10. n. 13. Basil. n. 5. Sanchez lib. 8. disp. 1. n. 1. Deinde dispensatio sæpè non est permanentis, hoc est, non est pro vltis pluries repetito contra legem, sed est pro vltis actu determinato: at priuilegium semper consistit in facultate permanenti operandi contra legem, vt diximus explicando priuilegij naturam, & notauit Salas sect. 1. in fin.

9 Inferitur septimò, dispensationem legis, & dispensationem voti, & iuramenti multum differre. Primò, quia dispensatio in voto, & iuramento nunquam fieri potest validè sine causa: at legis proprie dispensatio optime potest, vt dicemus. Secundò in voto, & iuramento dispensat Prælati nomine Dei, cui est ius per votum acquiritum: ipse autem vices suas Prælati committit: in lege autem proprio nomine proprie dispensat. Tertiò in voto fieri potest commutatio, etiam propria auctoritate, si fit in melius, & in euidenter æquale, seu admodum probabilem sententiam: at in lege nunquam potest dari commutatio, quia obligatio voti à volentis voluntate ortum habuit, & solum dignum honorem respicit, qui cum per materiam meliorem, vel æquè bonam conferuatur, poterit ex voluntate volentis mutari: at legis obligatio ex voluntate legislatoris pendet, ac proinde à sola voluntate legislatoris pati potest mutationem: sic Valquez disp. 178. cap. 2. Salas sect. 1. sub num. 5. & sect. 2. num. 7. Aduerto ex suprascriptis Doctoribus ex iuramento sæpè orti non solum obligationem Deo, sed etiam alteri homini: vt si in fauore alicuius fecerit iuramentum, ipseque acceptauit, non poterit commutare, illo non consentiente, & licet Prælati possit relaxare obligationem Deo factam: at sæpè non potest obligationem homini acquiritam, quia illius vices non habet.

PUNCTUM II.

An dispensatio cadere possit in his, quæ iuris naturalis, & diuini sunt.

- 1 Explicatur ius naturale tum fundatum in voluntate humana, tum in diuina, tum in conuenientia rerum.
- 2 Aliqua dicuntur de iure naturali non præceptiuo, sed concessiuo.
- 3 Ius præceptiuum mutari non potest, secus ius concessiuum.
- 4 An ius naturale præceptiuum, seu præcepta naturalia dispensari in aliquo casu possint? Proponitur dubitanda ratio.
- 5 Probabilis censet in nullo iure naturali cadere posse dispensationem.
- 6 Satisfundamentis n. 4. adductis.
- 7 Expenditur quorum præceptorum naturalium possint Prælati facere dispensationem indirectam.

**I**us generale voco, quod ab ipsa natura rationali ortum habet; ab ipsa enim natura rationali ortum habet malum à se futurum, non tubuenire pauperi, non defendere innocentem, cum possim. Hoc autem ius naturale, aliquando fundatur in voluntate humana, aliquando in diuina omnino libera, aliquando in sola conuenientia cum natura rationali. Ius ergo naturale fundatum in voluntate humana, est iuramentum, votum, matrimonium, & quilibet alius contractus; natura enim ipsa dicit hæc omnia seruanda esse, eo ipso, quod facta sint. Ius verò naturale fundatum in voluntate diuina omnino libera est illud, quod ex institutione sacramentorum, & mediourum ad salutem pertinentium promanar; facta enim institutione horum sacramentorum ratio ipsa naturalis dicit honestè, & religiose esse tractanda. Denique ius naturale ortum ex sola conuenientia cum naturali natura est tum affirmatiuum,



matiam, tum negativam, tum erga Deum, quam erga proximum. Affirmativam erga Deum est præceptum de illius cultu, & reverentia. Negativam est, ne falsos Deos colas, ne verum odio habeas. Erga proximum est ius negativum, scilicet illum occidas, & affirmativum, nempe, ut illi subvicias.

2. Præmitto, secundum aliqua dici de iure naturali non præceptum, sed concessio, vel probatio. Concedit enim ius naturale bonum esse commune, homines esse liberos: non tamen præcipit sic permanere semper. Item concedit matrimonium, non tamen omnibus præcipit. Item approbat filium succedere patri, & duobus testibus fidem integrè haberi: non tamen præcipit id esse servandum.

3. Hæc ergo omnia ab hominibus mutari possunt pro circumstantiis occurrentibus; quia non à natura præcipiuntur, sed conceduntur. Quapropter etiam communitas rerum à natura concessa fuerit. *§. quædam enim, Institut. de rerum divis. dist. 8. & cap. ult. dist. 11. quæst. 1.* Item etiam libertas fuerit à natura hominibus concessa, *§. ius autem, Institut. de iure naturali, gent. & civ. li. 1. ff. de iur. & servitut. Institut. de iure personarum, ibi, contra naturam.* Item à natura est, ne quis alterius damno loquatur, neve alienum retineat, *leg. nam hoc natura, ff. de conduct. in debet. & iure natura ff. de regulis iuris at sæpe respublica ob commune bonum, & pacem servandam bona vnius alteri tribuit, in quo fundatur viucapio, & præscriptio à lege introducta. l. 1. ff. de viucap. & usurpat. Ratio est, quia sæpe expedit hæc iura, & dominia mutari: si enim attentata propria utilitate potest tibi non expedire libertatem, & bona amittere, tæque in servum tradere, si amissione illius libertatis, & traditione in servum graue damnum vitas; quid mirum ob bonum respublicæ id in aliquibus casibus statui possit; ac mutare præcepta naturalia nunquam esse potest expediens, quia nunquam esse potest expediens omittere, quod intrinsicè bonum est, & cuius omisio per se, & ab intrinseco est mala. Et hinc fit, quare ius gentium mutare possit ius, seu dominium datum à natura, non tamen ius præceptum illius, quia præcepta naturæ fundantur in intrinseco eorum rectitudine, & honestate, seu necessaria veritate: & cum essentia rerum variari non possint, non potest illorum præceptum honestas, & rectitudo variari. At ius dominium seu dominia rerum fundantur in ipsis rebus quæ cum sint variabiles, dominium in illis fundatum variari potest.*

4. Controversia ergo est, esse ius naturale, seu præcepta naturalia integrè mutari non possint, possint tamen in aliquo casu dispensari, vel ab ipso Deo, vel ab homine?

Ratio dubitandi est, quia quilibet legislator in suis legibus dispensare potest, & alteri vices dispensandi committere: cum enim leges ex legislatoris voluntate obligationem sortiantur, poterit legislator obligationem coartare, ac proinde efficere, ne omnes æquanimiter obligentur. At præceptorum naturalium legislator est ipse Deus: ergo poterit in ipsis eum aliquibus dispensare, & aliter hanc potestatem committere. Et consimiliter. Sæpe occurrunt casus hanc dispensationem exoptulantes, ac gubernatio communis deficiat. Ergo concedenda est: hæc enim ratione cogitur sæpe pro communi utilitate, omnibus imperantur, non omnibus expediunt. Deinde probatur variis exemplis Deum per se in his naturalibus præceptis dispensasse, & vices dispensandi commississe: dispensavit enim cum Abrahamo in occasione propitij filij, *Genes. 22.* & cum Olee in copula fornicata, *Osæ 2.* & cum filiis Israël in spoliacione Aegyptiorum, *Exod. 12.* & poterat dispensare in pluralitate vxorum, in matrimonio consummato, & in matrimonio inter fratres, & inter alios, qui iure naturæ sunt contrahere impediti. Deinde Pontifici commisit potestatem dispensandi in votis, & iuramentis, & in matrimonio rato, & in residentia Ecclesiæ, quotum omnium obligatio ex iure naturæ provenit. Ergo dari potest dispensatio in lege naturali: & ita defendit, tanquam probabilius Thomas Sanchez plures referens libro 8. de matrim. disp. 6. num. 5. eam tamen num. 6. limitat, ut non de omni iure naturali intelligatur, sed de eo, cuius dispensatio censetur esse rectè gubernationi expediens. Quod autem hoc sit, non satis explicat, sed apponit exemplum voti, residentia, & sacrificij in vtraque specie. Vnde videtur ad hæc sola limitare.

5. Nihilominus dicendum est in nullo iure naturali cadere proprie, & directe posse dispensationem neque à Deo, neque ab alio vices ipsius habente. sic docent Couarr. reg. peccatum, p. 2. cap. 6. §. 9. num. 3. Suarez de legib. lib. 2. cap. 14. num. 5. ubi quamplures refer. *Cap. 15. num. 2. & 26. Valquez disp. 179. cap. 1. Basil. de Leon. lib. 8. cap. 2. num. 4. Navarr. consil. 4. de sponsat. impuber. num. 16. plures quos refert Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 6. num. 4. & trahit glossa in cap. sunt quidam. 25. quæst. 2. ex text. ibi, & in c. prop. sui de concess. prebende. Probatur conclusio. Dispensatio est relaxatio legis, eo casu quo lex obligat absque variatione circumstantiarum casualium obligationem, sed*

nunquam Deus in iure naturali dispensare potest, quia circumstantiam aliquam obligantem mutat. Ergo nunquam potest in iure naturali dispensatio cadere directe. Consequenter, & maior propositio ab omnibus admittitur. Minor probatur, quia ea, quæ sunt de iure naturali, habent intrinsicam honestatem, & debitam decetiam per conformationem ad rectam rationem, & conclusam omni lege extrinseca; sed rebus omnibus immutatis hæc conformatio Deus mutare non potest; quia essentia rerum est invariabilis, sibi que esset contrarius. Ergo neque potest immutare debitam honestatem illarum; ergo neque dispensare: quia dispensare est ex voluntate superioris facere licitum, quod aliis illicitum est rebus omnibus immutatis. Quod si Deo in iure naturali dispensatio non concedatur, à fortiori neque humane potestati est concedenda, quia homo ex se hæc potestatem habere non poterat, sed ex Deo: siquidem inferior in lege superioris dispensatio non potest, sine eius commissione, *cap. inferior, dist. 21. & Clement. ne Romani de electione. Vnde conclusio adversus ius naturale prævalere non potest, cap. cum tanta, de consuetud. & tradit ibi glossa, & in §. 1. dist. 5. & §. ult. dist. 6.*

6. Neque obstant fundamenta contraria. Ad rationem enim dubitandi respondendo, nunquam contingere posse casum, in quo conveniens sit in iure naturali dispensare; quia nunquam potest esse conveniens facere id, quod de se maius est, vel omittere, quod per se debetur. In legibus autem positivis convenit sæpe dispensatio; quia causæ, ob quas fuerunt appositæ, non æquanimiter circa omnes procedunt. Exempla item adducta non probant dispensare Deum in iure naturali, sed mutare circumstantias rerum, & condiciones, in quibus ius naturale obligat. Pro quo supponendum est aliqua esse præcepta naturalia immutabilia, quæque in qualibet circumstantia præcepta sunt. Hæc censentur esse omnia illa, quorum materia non pendet ex dominio Dei, qualia sunt mentis, falsos Deos colere, odio Deum habere. Alia verò sunt, quorum materia ex dominio Dei pendet: hæc, inquam, si Deus vti velit suo absoluto dominio, non obligantur; quia mutabitur materia obligationis, hæc autem mutatio dispensatio non est. Non enim dispensat respublica in lege reddendi depositum, quando ob commune bonum redditionem impedit, neque dispensat in lege naturali occidendi hominem, quando ob punitionem delicti commissi mandat occidi. Sic ergo cum Deus Abrahamo imperavit filium occidere, & Olee copulari mulieri fornicata, & Isaacitis, Aegyptios spoliare, non dispensavit in præcepto naturali occidendi, fornicandi, aut furandi; hæc enim semper invariabilia manserunt, sed apposuit conditionem, qua illorum obligatio cessavit, & qua postea nunquam ius naturale negativè occisionem, commutationem corporum, aut spoliacionem. Hæc autem condicio fuit usus suæ potestatis dominatiæ; cum enim ipse dominus sit absolutus omnium creaturarum, tam rerum, quam corporum, & vitæ, potest pro libito illis vti, ac proinde spoliare quosdam, aliosve ditare, vnum occidere, alium conservare, vnum committere, commitione alteri denegare. Eodem modo dicendum est de aliis exemplis in illa ratione dubitandi allatis; mutari inquam, materiam, qua obligatio naturalis cessat, non tamen dispensari directe in illius obligatione, & in vobis videtur esse manifesta: non enim potest Deus facere, ut manente voto, & eius acceptatione, non debeat votens votum implere; quia hoc est intrinsicè debitum rationi: at qui potest nolle oblatum acceptare, vel acceptatum remittere, ideo potest obligationem relaxare: remissio autem huius acceptationis dispensatio proprie dici non debet, quia hæc non est actus iurisdictionis, sed dominij, aliis eum Petro promittens, hereditatem aliquam, ipse verò cederet promissioni, dispensare tecum diceretur, quod est impropria locutio, & ita non debet concedi, sicut non concedit Suarez de legibus lib. 2. cap. 14. numero 11. Basil. de matrim. lib. 8. cap. 2. num. 9. Salas disp. 24. §. 5. sine. Exemplum de residentia eodem modo solvitur. Admitto residentiam de iure naturali esse, quoties supremus pastor, & rector illius non esserit obligatio: à se contrahat, at si ipse cedat, & subeat in se onus providendi Ecclesiæ necessitatibus; cessat tibi obligatio non per dispensationem propriam, sed per remotionem materiam, ex qua obligatio confurgebat: ut optime explicat Suarez cap. 14. num. 21. & Basil. num. 15. Similiter dicendum est de dispensatione in matrimonio rato; est enim matrimonium illud natura indissolubile, ita ut ex voluntate eo trahentium dissolvi nullatenus possit: at ex voluntate Dei, qui supremus Dominus est voluntatis humanæ, & vinculi inde confurgentis, dissolvi poterit, quod quidem non est proprie dispensare in matrimonio, cum ma rimonium non maneat, sed tollere matrimonium, & consequenter illius obligationem: licet quando solet respublica dissolvere alios contractus legitime factos, non dicitur tunc dispensare, sed potestate sua dominativa vti, sic Valquez disp. 179. c. 3. prope finem. Basil. num. 14.

7. Sed inquires, Quorum præceptorum naturalium habeant Prælati potestas emutandi materiam ac proinde tollendi obligationem? quod est inquirere, in quibus præceptis naturalibus potest cadere humana dispensatio indirecta?

Respondeo



Respondeo breviter, posse cadere dispensationem indirectam in illis omnibus, in quorum materia habent Prælati potestatem dominatiam, quia si illa potestatis extantur, cessat præceptorum obligatio. Exemptis declaro. Quia habet respública potestatem dominatiam circa bona tuorum subditorum, ut possit ob necessitatem boni communis ea expendere, datur vicupio, & præscriptio in alienis bonis. Item potestatem ab reo auferre, & alteri tribuere. At in illis rebus, in quibus non habent Principes potestatem dominatiam; nequeunt etiam indirecte dispensare, seu naturale ius variare. Quocirca cum in corpora humana non habeant liberam facultatem disponendi, non poterunt mulierem sine consensu illius alteri applicare, & commixtionem carnalem licitam effecere. Neque Deus excusandus est hanc potestatem Principibus secularibus, neque Pontifici summo reliquisse, quia non videbatur expediens hanc illis potestatem relinquere; erat enim non leuibus inconuenientibus expolita. Qua ratione dicit Thomas Sanchez libro 8. disput. 16. numero 10. cum inueniatis à se relatis Suarez libro 2. de legibus, capite 14. numero 23. Basilius libro 8. de matrim. capite 2. numero 16. Pontifici summo relictam non esse potestatem dispensandi in impedimentis iure naturæ dirimentibus; qualia sunt impedimenta erroris, impotentia, ligaminis, & consanguinitatis in primo gradu. Quia licet in aliquo casu hæc dispensationem concedere videatur expedire: ac conuenientius esse videtur hanc potestatem omnino denegatam esse, ne frequentius, quam pati esset, illa Pontifices uterentur, & via inefficacis aperiretur.

PUNCTUM III.

An in iure diuino positio dari possit, dispensatio, & à quo.

1. Deum optime potest in illo dispensare.
2. Sed non credendum concedere, nisi per Ecclesiam auctoritatem.
3. Non est concessa hæc potestas Regibus, neque aliis secularibus Principibus.
4. Proprietur triplex sententia. An Pontifex in iure hoc dispensare possit.
5. Approbatur tertia, negans posse dispensare.
6. Proprietur quadam obiectiones, & soluntur.

1. Pono primò, posse Deum dispensare: si enim potestas dispensandi in propriis legibus cuiuslibet legislatoris humano conceditur; quomodo supremo legislatori neganda erat? Et licet humanus legislator non possit pro libro dispensationem concedere, sed debet causa adesse dispensandi. At legislator diuinus pro libro suo illam concedere potest; quia eius voluntas est sufficientissima causa honorandi dispensationem; tum quia est supremus Dominus: tum quia eius voluntas est infallibilis regna bonitatis.

2. Pono secundò, hanc dispensationem non esse credendum Deum concedere; nisi per Ecclesiam auctoritatem constet, aut per aliam certam reuelationem ab Ecclesia approbatam, ex eiusdem primæ de reuinciat. cap. cum ex iniuncto, de heret. & tradit. Basili. de Leon lib. 8. cap. 3. num. 1. Suarez lib. 10. de legibus, cap. 6. num. 1. Salas disp. 24. n. 31.

3. Pono tertio hanc potestatem non esse concessam Regibus, & aliis secularibus Principibus, quia ipsi non est concessa alia potestas, nisi temporalis, quia hæc sufficit ad gubernationem politicam. Hæc autem potestas est spiritualis, & supernaturalis, vt potest circa spiritualia, & supernaturalia versans. Ergo. Deinde affirmo non esse concessam Prælati inferioribus a Pontifice, scilicet Episcopis, Patriarchis, &c. quia vltus huius potestatis rarissimus esse debebat, casu quo concessus esset: ac proinde necessarium non erat penes quemlibet Prælatum residere. Adde dispensationem hanc esse ex grauioribus casibus, que in Ecclesia contingere possunt. Ergo si ad aliquem pertinet, solum debet esse summus Pontifex, ex cap. maiores, de Baptismo, sic Suarez supra num. 2. & supponant omnes alij Doctores.

Quare solum de Pontifice mouent quæstionem? An, inquam, dispensare in hoc iure diuino possit?

4. In hæc re triplex est sententia. Prima affirmat in omni iure diuino positio, seclusis fidei articulis, posse ex causa graui, & urgente Pontificem dispensare, sic Panormitanus in cap. propositus de concess. præbend. num. 20. Felin. in cap. que in Ecclesia, de consens. num. 19. & 20. vbi pluribus extornat. & in cap. 1. de consuetudine, n. 23. Decius consil. 112. num. 3. & in supradictio cap. que in Ecclesiarum, num. 44. in nouis. Secunda sententia limitat supradictam. Affirmat namque dispensare Pontificem posse non in omni iure diuino, sed in aliquo, in eo scilicet, in quo maius Dei obsequium videatur esse, dispensationem concedere, quam ius diuinum integrè obseruari. sic docuit Canon relatus de panorm. part. 5. ad si em. Sanchez de matrim. libro 8. disput. 6. num. 6. Fundamenta vtiuque sententiæ ex probatione Teræ, de Castro Sum. Pars 1. Mor.

nostræ conclusionis dissoluntur; quòd si aliqua fuerint, quæ specialiter indigerint explicatione, postea subiiciemus.

5. Tertia sententia communis, & verissima est. Affirmat in nullo iure positio diuino posse Pontificem dispensare. sic D. Thom. quem communiter Theologi sequuntur 1. 2. quæst. 97. artic. 4. ad 3. & 2. 2. quæst. 88. art. 16. in solut. ad 3. & quodlib. 4. art. 13. Suarez plures referens libro 10. cap. 6. numero 6. Salas disp. 24. sect. 5. num. 33. Basilius lib. 8. cap. 3. n. 2. Couarr. 4. de iur. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 4. Syluest. verbo Papa quæst. 16. Salmeter. tract. 68. in aut. in 4. & 5. difficult. & alij apud ipsos, & facit textus in cap. sunt quidam, & cap. contra statuta patrum, & cap. emne quod, & alij 25. quæst. 1. vbi asseritur non esse Sedis Pontificiæ aliquid condere contra Apostolorum statuta, vel aliquid illorum mutare. Ratio est, quia Pontifex non habet hanc potestatem, nisi à Christo Domino illi sit specialiter commissa. At hæc commissio non constat primò ex illis verbis, quodcumque ligaueris super terram; tum quia illa verba nimis generalia sunt. Ex verbis autem ita generalibus non debet inferri concessio rei ita grauis, & extraordinariæ; quia propter eius grauitatem specialem concessionem desiderabat. Quocirca nuquam intellexerunt Pontifices illis verbis esse talem potestatem concessam, aliàs sæpè vti illa fuissent, sicuti vtiuntur aliis potestatibus sibi datis, quæ habere agnoscent. Item hæc potestas non cedebat in adificationem Ecclesiæ, sed potius in illius destructionem; destruebat enim vnitatem, & firmitatem Ecclesiæ: Ecclesia enim per totum orbem terrarum est vna, non solum in articulis fidei, sed etiam in religio cultu, qui in sacrificiis, & sacramentis continetur: si igitur hic religiosus cultus variari posset de curtu temporis, viz vnitas Ecclesiæ agnosceretur. Adde Christum Dominum nulla alia præcepta postiuia Ecclesiæ imposuisse, præter illa, quæ pertinent ad fidem, & ad sacramenta & sacrificia; si igitur in his admittatur dispensatio, faciliè Ecclesia corrumpere poterit, cum eius fundamenta corruant. Denique nulla potest excogitari causa legitima dispensandi in aliquo præcepto diuino, quæ in omnibus præceptis locum non habeat: ac concedere potestatem dispensandi in omnibus, videtur Ecclesiæ vnitati, & stabilitati omnino perniciosum. Ergo etiam videtur perniciosum concedere potestatem dispensandi in quolibet ex his præceptis diuinis. Maiorem probò exemplis, sæpè continget casus, vt ob defectum aquæ parvulus abique Baptismo motiatur, sæpè vt sacerdos non adit absolueno. Poterit ergo in his casibus dispensare, vt aqua rosata pro naturali apponatur, & laicus nomine sacerdotis absoluat? Absit. Item in aliqua regione esse potest summa penuria vitæ, in alia vini, Dispenset ergo Pontifex, vt in pane hordeaceo, vel in sicera consecratur? Item ex obseruatione sigilli confessionis, graue damnus sacerdoti, vel regno imminere potest. Dispenset ergo Pontifex in tali præcepto? Quòd si in his, & aliis dari non possit dispensatio, in nullo præcepto diuino est concedenda, quia firmitas horum præceptorum magis expedit Ecclesiæ, quam qualibet alia causa, quæ pro dispensatione illorum excogitari potest.

6. Sed obieci primò, ex verbis Christi Domini Matth. 19. Quodcumque ligaueris super terram, &c. colligunt Doctores Pontificem dispensare posse in voto, iuramento, & matrimonio rato, & in matrimonio spirituali inter Episcopum, & Ecclesiam; sed hæc omnia sunt iuris diuini. Ergo iam in iure diuino dari potest dispensatio.

Respondeo primò. In iure diuino fundato in humano contractu bene potest dari dispensatio; quia hoc non est dispensare in iure diuino, sed in fundamento illius. At in iure diuino absoluto, & independenti à voluntate hominis qualia sunt, matæ, & formæ sacramentorum, & sacrificij, & præcepta fidei, spei, charitatis, nullo modo cadit dispensatio.

Secundò respondeo ex illis verbis Matth. colligere Doctores, posse Pontificem remittere nomine Dei obligationem, voti, & iuramenti, & matrimonij rati, quia ex praxi, & vsu Ecclesiæ id constat: ac ex vsu, & traditione Ecclesiæ contrarium colligitur in aliis diuinis præceptis. Ergo in illis non est admittenda talis dispensatio, sicuti non admittitur in matrimonio consummato.

Obieci secundò. In solemnibus religionum professione solet Pontifex dispensare; sed hæc obligatio videtur esse ex iure diuino. Ergo in iure diuino debet admitti dispensatio?

Respondeo solemnitatem in professione non ex iure diuino, sed Ecclesiastico esse, vt constat ex Bulla, Ascendente Domino pro Societate Iesu expedita, atque ideo sicut potest causa existente remittere obligationem cuiuslibet voti Deo facti, ita potest remittere obligationem professionis. Deinde Pontifex est supremus, & immediatus Prælati religiosorum, cui in obedientia iubeantur religiosi. Si ergo Pontifex hanc obedienciam remittit, cessat obligatio voti; sicuti si tibi promitterem hæreditatem sub voto, & tu nolles eam acceptare, vel acceptatam remittetes, cessaret in te voti obligatio, quia cessaret materia voti. Deinde sublata obedientia, tollitur etiam votum pauperatis, & castitatis, quæ ratiam habeat conditionem, dum sub obedientia existere. sic explicuit Basili, de Leon lib. 8. de matrim. cap. 3. num. 5. & lib. 7. ap. 12. in fine. Salas disp. 24. sect. 5. num. 35.

